

רבשן םחל panem & carnem constat. Nihil difficultatis
 hæc verba spargunt, præterquam, quod *seorsim* allatos fu-
 isse cibos, panes scilicet mane & carnem vespere, velint
 multi Veterum, ut *Augustinus Serm. 146. de tempore, & A-*
thanas. in Synopsi, Theodoretus in 3. Reg. qu. 52. moti scili-
 cet versione virali, cujus verba sunt: οἱ κόρακις ἔφερον αὐ-
 τῷ ἄρτους τὸ πρωῖ, καὶ κρέα τὸ δείλη. Sed error vitio tem-
 porum forte in versionem irrepsit. De quo vide *præfat.*
ad τῶν LXX. versionem, Lips. 1697.

§.XIIIX. Sed magis animos Interpretum trahit ver-
 satque quæstio, *unde sumptos cibos statuunt?* Quorum sen-
 tentias, conjecturis & incertitudine plenas, breviter an-
 notasse sufficiat. Ita enim R. Juda in tract. Sanhedr. ex
 Achabi macello; Cum quo facit Tostatus, e mensa, sen-
 tiens, ejusdem Regis fuisse epulas ab angelis sublatas, de-
 latasque in locum, unde corvi ad Eliæ latebras deducerent.
 Alia mens est Nehemiæ in Ber. Rabba, ex ædibus regis Jo-
 saphat petita fuisse fercula dicenti. Negat autem rega-
 les dapes Joseph. Halle, Anglus, cibos nonnisi tenuioris
 condimenti concedens. Ab omnibus hisce abeunt Me-
 nasse Ben Jsr. & Bochartus contendentes, ex liberalitate u-
 nius, quem Deus tanti arcani conscium esse voluit, de se-
 ptem millibus, qui non procubuerunt coram Baale *1. Reg.*
XIX, 18. provenisse cibos. In tanta diversitate, quid se-
 quimur, aut cui credimus? Sed tutius credo posse respon-
 deri: Unde eas carnes & panes illi corvi detulerint, ipse
 viderit, qui tale officium eis committebat.

§. XIX. Et hæcce quidem divinæ providentiæ do-
 cumenta deprompta sunt ex sacra historia, quorum fi-
 lum ideo diducere nolumus, ut & B. lectoris nausæ me-
 deamur, & aditus pateat, falcem in uberiores historia-
 rum profanarum de θηριολόγοις messem mittendi. Ne au-

B

tem